

67. Id ipsum vero gratis etiam, & non ex debito: neque enim inter retributionem illam, & nostra opera ulla est analogia & proportio; quae planè foret necessaria, si nostris operibus, ex debito retributionem illam deberet Deus.

68. Sunt tandem ipsius etiam Diaboli respectu bona facienda opera, ne per impietatem & securitatem hospitium ipsi in cordibus nostris praebemus: & posteriora deteriora reddantur prioribus. Matth. 12, 45.

#### QUAESTIO IV.

### Quomodo facienda sunt bona opera.

69. Ad hanc questionem respondet Confessio nostra primùm affirmatè: Opera bona, ut Deo placeant, ex fide proficisci debent: Impossibile enim est placere Deo sine fide Rom. 14, 24. Heb. 11, 6. Deinde negatè: Facienda sunt bona opera, ne confidatur in illis, hoc est, ne quis vel superbia elatus, ac operum dignitate inflatus ita efferatur, ut non modò proximum superciliosè fastidiat: Verùm etiam ne quidem coràm Deo se humiliet: Vel spem ac opinionem meriti justificationis & salutis suae in illis collocet.

70 Placent igitur bona opera Deo, non perfectionis suae merito, sed obedientiae erga voluntatem

De divi-